



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

vers. 13.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

nimille suam prædixit, Apostolorum vero conciones post illam habitæ sunt.

Itaque multos ipse conuertit, & instruxit. Non propter obsecritatem minor Apostolis, sed propter spiritum, aliaque dona maior.

Ex magnitudine Ioannis, Cyprianus argumentum pro hæreticis rebaptizandis adducit. Nec recusabunt, inquit, baptizari apud nos hæretici legitimo & vero Ecclesiæ baptismo, quando ex nobis didicerint, baptizatos quos à Paulo eos qui iam baptismo Ioannis baptizati fuissent; sicut legitimus in actibus Apostolorum. Et nunc apud quosdam de nostris, hæreticorum baptisma occupatum asseritur, & inuidia quædam quasi rebaptizandi, baptizare post hostes Dei nefas ducitur, cū baptizatos inueniamus, quos Ioannes baptizauerat: ille Ioannes maior inter Prophetas habitus, ille diuina gratia adhuc in uero matris impletus, ille Helia Spiritu & virtute subnixus, qui non aduersarius Domini, sed præcursor ac prædicator fuit, qui Dominum non tantum verbis prænuntiavit, sed & oculis ostendit, qui ipsum Christum, per quem baptizentur ceteri, baptizauit, ita Epist. 73. ad Iulianum.

Errorem illum S. Cypriani & cœpiscoporum eius nostri sætarij non sequuntur, quod tamen oporteret, si baptismus Ioannis & Christi esset idem: Ille enim vere rebaptizatos esse ab Apostolis fateatur, quos Ioannes baptizauit, quod negant hæretici; ideo verò illi sunt rebaptizati; quia non idem baptismus Ioannis & Christi, hac de re supra c. 3. disputauimus. Vide Aug. l. 5. de baptismo. c. 12, 3, 4. ostenditque S. Cyprianum, eos saluos æstimasse, qui ad Ecclesiam sine anabaptismo venerunt. Si dicit, inquit, non recte fors datur: respondemus, sicut non recte fors habetur, & tamen habetur, sic non recte fors datur, sed tamen datur. Sicut autem per unitatis reconciliatione incipit uile esse, quod extra eam inuoluitur datū est.

Videatur & Aug. l. 5. de baptismo c. 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16. ubi inter utrumque baptismum discrimen ostendit. & c. 17. Quandoquidem, inquit, cuius Episcopo permiserit sentiendi hac de re quod uellet libertatem, non mirum cuiquam uideri debere, si ipse à Cypriano hac de re dissentiat: uerūsa Ecclesiæ consuetudinem & definitionem plenarij Concilij pluris faciens, quam aliquot Episcoporum scripta.

S. 5. Et Hieronymus aduersus Luciferianos. Verum si uoluerunt, qui ab Hilario instructi sunt, & oues sine pastore esse cœperunt, de scripturis ea proferre quæ Cyprianus ob hæreticos rebaptizandos, in Epistolis suis reliquit. Sciatis, inquit, illum hac non cum anathematizatione eorum qui se sequi noluerunt edidisse (siquidem in communionem eorum permansit qui sententia sue contraxerant). Sed hortatum potius fuisse, propter Nouatianam & alias tunc hæreses enascentes, ne quisquam ab eo sine damnatione erroris sui reciperetur.

S. 6. Aug. l. 2. contra aduers. Legis & prophetarum, Binas expositiones complexus est, de Angelis & de Christo. Nam respondet aduersarijs qui hinc argumentabantur Ioannem cælo exclusum, ideo multo magis omnes prophetas, quibus hunc in modum ille respondet. Argumentati etiam, inquit, de Ioanne Baptista. Qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo, ita uelut ratio in dno, tanquā Ioannes non pertinet ad regnū cælorū, & ob hoc multo minus ceteri propheta illius populi, quibus maior est Ioannes. Hæc autem uerba Domini duobus modis possunt rectissime intelligi. Aut enim regno cælorum appellauit eo loco Dominus, quod nondum accepimus, & in quo nondum sumus; unde & in fine dicturus est: Venite benedicti patris mei, percipite regnum. Et quia ibi sunt Sancti Angeli, quilibet in eo minor, maior est utiq; quolibet sancto & iusto, portante corpus quod corrumpitur & aggrauat animam. Aut si regnum cælorum in ea sententia illum intelligi uoluit, quæ & in hoc tempore significatur Ecclesiæ cuius filij sunt omnes ab institutione generis humani usque nunc quotquot iusti & sancti esse potuerunt: præfæctum ipsum Dominum significauit, quia nascendi tempore minor erat Ioanne, maior autem diuinitatis æternitate, & De-

Vere à
Paulo re-
baptizati,
quos Io-
annes ba-
ptizaret.

Cyprianus
à se dissen-
sientes non
damnauit.

Manichæi
Ioannem
damnatum
dicebant.

minica potestate. Proinde secundum priorem expositionem ita distinguit: in natu mulierum nemo exiit maior Ioanne Baptista: qui autem minor est in regno cælorum, ac deinde subinfert, maior illo est. Secundum hanc autem posteriorem ita: in natu mulierum non exiit maior Ioanne Baptista. Qui autem minor est, ac deinde subinfertur, in regno cælorum maior illo est. Sed uterque intellectus tam congruit ueritati, quam resellenda huius sufficit uanitati. Sine enim quilibet Angelus ceteris minor, Ioanne sit maior: sine hic Dominus intelligatur, Ioanne præcursor suo etate minor, maiestate maior, nihil inde prophetis ceteris derogatur. Potuerunt enim esse Ioanni aliqui æquales, aliqui eo minores, nullus autem maior propter sententiam Domini: omnes tamen sancti, & iusti & boni.

VERSUS 12.

Adiebus autem Ioannis Baptiste & que nunc, regnum cælorum uim patitur, & uolenti rapiunt illud.

QUESTIO I.

Quam patitur uim regnum cælorum?

S. 1. Indicat solutis repagulis omnibus, aditū ad regnum esse, non iam de patribus, & carnali hereditate agi, sed omnibus aperiri, dare uirtuti, etiam exteræ, nam ab oriente & occidente uenient; alioquin ad regna terrena, quæ bellis cōf obtinent, & exteri. Luc. 16. 16. Lex & Propheta ad Ioannem, ex eo regnum euangelizatur. Ante à solis Angelis possidebatur, nunc hominibus patet, non ignauis, sed fortibus, Iudæis nascitur Christus, sed plus prodest gentibus, externi in regna ruunt, uolentia ergo est multitudo, feruor, impetus quo post Ioannis & deinceps Christi prædicationem uirtuti student. Sic & terra promissionis armis occupanda fuit.

Hilarius uero can. 11. & in Psalm. 2. Sic, ait, in rapiendo regno cælorum raptore Dominus delectatus, ait: A diebus autem Ioannis regnum cælorum uim patitur, & uim facientes diripiunt illud: quia cum regni cælestis possessio Israël prædicaretur, fides tamen gentium possessionem hanc sibi Israeliti dissidentij præpererit.

Ambros. lib. in Lucam. 6. & serm. 15. ideo uim patitur, quia uel non intra unum populum continetur, sed omnibus qui uirtute niti, non sanguine uolunt, proponitur.

S. 2. Irenæus l. 4. aduersus hæreses de perpetua uigilantia interpretatur. Quæ enim, ait, fructio boni apud eos qui ignorant? Quæ autem gloria huius, qui non studuerint illi? Quæ autem corona huius qui non eam, & uictiores in certamine consequuti sunt? Et propter hoc Dominus uolentium dixit regnum cælorum. Et qui uim faciunt (inquit) diripiunt illud. Hoc est, qui cū uigilantibus instantibus diripiunt illud.

Vim illam Cypri. de natiuitate Christi, de uictoria sui interpretatur. Optimè inquam, quia illa non de uino, alterone, sed cunctis uitijs habetur. Et uere, qui cunctis uiribus eo tendit, uim infert.

VERSUS 13.

Omnes enim propheta & lex, usque ad Ioannem prophetarunt.

QUESTIO I.

Quomodo omnes prophetae ad Ioannem prophetarunt?

S. 1. DVo ex his uerbis errores orti sunt. Prior multo uetior hodierno tempore; Ioannem uetere legem abrogasse, nouam condidisse. Alter uero omni nos lege solutos esse. Priorem plerique; hodie hæretici sequuntur. Alterum Valentinus. Ceterum, Apelles, Anomi, Libertini, & si rem spectes plerique hodierni hæretici tuentur. Uterque refutatur. Nam Christi-

Aut ipse venit legem adimplere, & hic pœnitentiam requirit aliaque opera, lex ergo ad Ioannem & Prophetas, quia lex qua vmbra fuit, cessit veritati. Lex tæmortalis futura obscure figurans nunc Christo accedente cessit, & vbi manet, iam non obscura est amplius, sed iam exhibens præsentem. Itaque exponenda verba sunt: *Propheta & lex prophetauerunt*, non dicitur: *lex & propheta prophetauerunt*, sed ne quis hic interpretetur, lex fuit, & Propheta prophetauerunt: sed propheta & lex prophetauerunt. At quomodo lex prophetat? quia signa constituendo id futurum indicat, quod propheta verbis, lex prophetat sacramentis, prophetæ oraculis, lex agno paschali prophetat de Eucharistia, prophetæ verbis. Itaque lex futura obscure signans, hoc est prophetans, sicut prophetæ ipsi ad Ioannem durarunt, nam tunc cum Ioannes diceret: Ecce Agnus Dei, &c. *lex & propheta*, iam præsentem demonstrant, non iam aberant, sed tenebantur.

§. 2. Non aliter lex illa desijt, quam Propheta, at prophetæ ita desierunt, ut iam non longe abessent, quæ prædixerunt, sed adessent pariter: ergo & lex, hoc est prophetæ desierunt prophetare; nam cum legerentur & exponerentur adhuc prophetabant in libris suis dum futura prædicabant, at cum Christus legeret Isaiam in Synagoga iam non prophetabant, quia completa erant, aut completi cœperant, de quibus prophetabāt. Luc. 17. 16. & 17. Lex & prophetæ vsque ad Ioannem (subaudi ex Matthæo prophetauerunt.) ex eo regnum Dei tunc gloriatur, & omnia in illud vim faciunt.

§. 3. Quoad moralia, omnia feruare tenemur, utpote ex quibus vniuersa lex pendet, & prophetat.

§. 4. Christi scopus est ostendere regnum cœlorum vim patitur, sic argumentatur: Lex & Propheta obsecrantes, & de longinquo prophetarunt vsque ad Ioannem, ideoque pauciores & minore efficacia mouerunt; at ad tempore Ioannis iam nec longe res illæ aberant, sed ipse Messias ostensus, nō pictura beatitudinis, seu sponsus, sed ipse sponsus; accurrunt ergo, & regnum cœlorum vim patitur, quæ ratio optima est. At si sensus est nunc lex omnis abrogata est, prophetæ irriti facti, & data libertas à lege, non sequitur regnum cœlorum vim pati, ad quod aditus non est nisi ferta legumini cum Libertinis dicamus, vnicum modum esse penitendi ad regnum cœlorum nullā legem putare.

§. 5. Facilius est autem cœlum & terram præterire quā de lege vnum apicem cedere. Hic Christus aperte ostendit, legem seruandam implendam, ut ex. expositio, lex ergo & prophetæ ad Ioannem, cum dicitur, opusculis illis verbis regnum cœlorum euangelizatur, iam aperte, iā præsens, itaque obscuritati, legis vmbreis, ceremonijs ipsius iam præsentis opponitur: nam lex implenda est. Non longe aberrauit quidam hereticorum, Iulius & Tremell. futura tantum prophetarunt nunc præsentia cernuntur: lex & Propheta iustum præbuerunt. Nullo igitur argumento legem oppugnare Christus voluit. Sed legem, & finem legis clarius ostendit Maldonatus, viguisse & statum habuisse scribit, opponit vero Lucas 16. 16. Prophetis & legi, vim pati regnum cœlorum.

§. 6. Piscator dupliciter distinguit. [παῖτες ὅς οἱ πῆος] Pro diuersitate distinctionis nascitur diuersa syntaxis, & hinc diuersa expositio. Si apponas notam incisam post ὅς οἱ πῆος, syntaxis erit: omnes Propheta & Lex prophetarunt vsque ad Ioannem scilicet, quatenus propheta, ut de aduentu Christi, q. d. Prophetæ illæ non extendunt sese ultra id tempus quo suscitatus est Ioannes, sed præcisè in illud incidunt. Si v. comma apponas post ὅς οἱ πῆος, syntaxis erit: Nam omnes prophetæ & Lex (subaudi dei) qui fuerunt vsque ad Ioannem prophetarunt, nempe de aduentu Christi, quasi dicat nō autē Christi.

Adami Conzen. in Euang. Tom. I.

stū præsentem ostenderunt: sicut Ioannes fecit. Et sic verbum prophetarunt, possum fuerit emphaticè per tacitam antithesin. Atque hæc expositio declarat quomodo hæc sententia cohæreat tanquam ratio cū sententia illa versūs vnde cimi, quod nō sit suscitatus maior propheta quam Ioannes, secundum priorem versū expositionem cohærebit hæc sententia, cum sententia versiculi proxime præcedentis: & ratio indicabitur, cur Ioannis testimonium tā auidè recipiatur: quia scilicet, auditores ex illius prædicatione discant, iam esse tempus ut vaticinia Moysi, & Prophetarum de aduentu Christi impleantur. Sed altera expositio videtur genuina.]

Verum non redditur ratio cur maior sit, sed cur regnum cœlorum vim patitur. Quod enim nonnulli post versum 10. subiiciunt 13. audiendi nō sunt, librorum testimonijs conuicti. Sensus igitur: Prophetas de aduentu iusti pronunciasse, id quod solis Iudæis, paucis gentibus. At nunc cum præsens ipse Dominus aduenit in templum suum, atque à Ioanne ostensus est: Omnes in regnum cœlorum velut obice rupto inuehi, & violenter rapere.

Cessaturum esse legem Cyptianus l. i. test. aduers. Iudæos. 9. ex hoc eo probat, quod lex & Propheta, vsque ad Ioannem.

§. 7. Tossanus in Ioanne ita legem fixit, ut tamen ad Christum ostendat pertinere. [Queritur cur dicat, *Hæretici ad Ioannem, non vsque ad me, vel vsque ad Christum* Respondet. 1. Res eodem fere iedit, cum eodem tempore vixerit, sed modestiæ causa de Ioanne potius quā de se loqui voluit. 2. quia numerat Ioannem inter vltimos prophetas & terminum illum facit omnium Prophetarum, qui scilicet de Christo locuti fuerant.] *legem.*

Non igitur Ioannes inchoauit nouam legem, sed finiuit veterem, si Tossanum audiamus, cum tamen plerique hæreticorum, nouæ legis, & noui baptismi Ioannem institutorem faciāt. Qua de re supra disputauimus, audire lubet Tertullianum l. de baptismo. Agebatur itaque baptismus penitentia quasi candidatus remissionis & sanctificationis in Christo subsecuturus. Nam quod prædicabat baptismum penitentia in remissionem delictorum, in futuram remissionem enunciaturum est, si quidem penitentia, *Ioannes antecedit, remissio subsequitur, & hoc est viam preparare: qui non instituit, non autem preparat non idem ipse perficit, sed alij perficiendū procurat, ipse proficitur sua non esse cœlestia, sed Christi, dicens, qui de terra est, de terra loquitur: qui de supernis venit super omnes est. Item sola se penitentia tingere, venturum mox qui tingueret in spiritu & igni, scilicet quia verā & stabilis aqua fides, qua tingitur in salutem, simulata autem & infirma igni tingitur in iudicium.*

Ereodem loco vnde & suggeritur, quā aduersantes Domino tingi noluerint, eos qui Dominum sequebantur, sanctos fuisse, nec cum amulū suū sapuisse, maxime quando Dominus, cui adhærebant, testimonio Ioannem extulisset, Nemo, dicens maior inter natos faminarum Ioanne baptizatore.

VERSUS 14.

Esi vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est.

QVÆSTIO I.

An Elias sit venturus?

§. 1. Beza ne Eliam venturum opus esset dicere cōtextum mentus est ex Erasmo aliam interpretatione, deprauatā. *ὁ μέλλων ἔρχεσθαι* qui venturus erat, quasi dicat illum Beza venturum fuisse, iam autem aduenisse. Verum *ὁ μέλλων ἔρχεσθαι* semper de futuro dicitur, de eo inquam quod iam futurum est, non quod aliquando quidem futurum erat nūc vero præteritū est. Alioqui dixisset *ὁ μελλόντων ἔρχεσθαι*.

T. 2.

Darius Guntz
in
Euang. l. I.
C. VI.
18.